



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.D. Jacobi Marchantii Vitis Florigera

Marchantius, Jacobus

Coloniae Agrippinae, 1661

74. De morte S. Catharinæ & miraculis subsequitis unica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56381](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56381)

plicio in supplicium. O infelix revolutio sæculo-
rum super te?

Maximi-
um Draco-
em fuit.
Apoc. 12.

4. Concludamus, & dicamus etiam Draconem
fuisse Maximinum Tyrannum, quia membrum
præcipuum fuit illius Draconis qui dicitur *traxisse*
cauda sua tertiam partem stellarum in terram, sive
illius qui stans in litore maris bellabat contra mu-
lierem, & semen eius, quig. *misit ex ore suo post mu-*
lierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi
à lumine. Nonne ex ore suo aquam misit in mu-
lierem Maximinus Tyrannus, dum edicta promul-
gavit contra Ecclesiam sponsam Christi, eiusque
semen sacrum, hoc est, eos qui habent testimonium
Iesu Christi. De hoc femine erat Catharina, quam
perdere quaquã viã faciebat. Quid est aliud flumen
aque quod evomuit contra mulierem & semen ei-
us, quam persecutio continua qua fidem absorbere
visus est? Quid rursus aliud est, & celo trahere cau-
da sua partem stellarum, quam prava doctrina &
suggestione illos qui celestes erant, & velut stellæ
in firmamento Ecclesiæ effulgebant, ad idolatri-
am & terrenos errores de solvere, & huius sæculi
flagitiis velut aquis profundis velle mergere? Sed
omnibus potuit Draco iste in mulierem, nec in semen
eius sacrum, quia ei promiserat Dominus: *Super as-*
pidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leo-
nem & draconem. Ecce Catharina conculcat hunc
saevissimum draconem, & in æternum conculcabit:
in aquis stygiis demergit eum, sententiam cum iu-
dice æterno adversus ipsum pronuntiaturã. Qua-
propter depingi solet cum gladio in manu, & rota
à latere, & capite Imperatoris sub pedibus. Quibus
quidem significatur eius victoria, quam per gla-
dium quo decollata fuit, & per rotam quam con-
fregit, de Tyranno reportavit æternum victrix.

LECTIO II.

De morte S. Catharinæ, ac miraculis subsequenti.

Mors S. Catharinæ tribus specialiter mira-
cularibus tribus oculis legitur illustrata. Primum est, quod
modis illu- Angeli, mox ubi reddidit spiritum, eius corpus in
strata. monem Sinai deculerunt, & ibi sepelierunt eam.
1. Angeli Exaudierat enim eius orationem Dominus, quam
sepelierunt Sublato namque in cœlum animo, oculisque ac
mauibus, sic orasse legitur: *Domine Iesu Christe,*
ago tibi gratias, quod statisti supra petram pedes
meos, & direxisti gressus meos; & nunc exinde pal-
mas que pro me in Cruce fuerunt sauciatae, & su-
scipe animam, quam sacrificavi pro te & tua confes-
sione; Memento quod sumus caro & sanguis, & que
per ignorantiam deliqui, ne ante eum terribile tri-
bunal representari permittas: sed in sanguine quem
pro te fudi, maculas meas ablu. Da autem ut hoc cor-
pus, quod pro te fuit concisum, non possit aspici ab eis
qui querunt. Aspice etiam ad populum hunc, & de-
duc eos in lumine tue agnitionis. Da quoque eis qui
per me in vocant nomen sanctum tuum petitiones eis

conducibiles, ut per omnia laudentur tua magnalia
nunc & in sæcula. Exaudivit igitur Deus & qui per
Angelos in omnibus eam viis custodierat, in morte
quoque per eos voluit eam honorare, dum ad se-
pulchrum adeo sublime & nobile angelico defer-
tur obsequio, angelicisque hymnodis eius exequiis
celebrantur. Non potest dubium esse, quin sublimi
loco in cœlis eius animam collocarint, qui in ter-
ris illustri & excelso ad eo loco corpus composue-
runt in sepulchro. Equidem & Angelico credimus
ministerio corpus Moylis sepultum à Domino, sed
ignoro, nec tam nobili loco. Illum ergo montem,
quem suã Dominus præsentia in igne & fulgure
legem promulgans honorat, cuique tunc acces-
sum prohibuerat, ad radicem montis hærente &
horrente populo; Virginis huius & Martyris cor-
pore ac præsentia voluit exornare, quæ legis divi-
næ non solum observatrix, sed & Doctrinæ extiterat
eximia, à totis sæculis celebranda: *Sic honorabitur,*
quem Rex voluerit honorari.

Certe corpora Sanctorum vult honorari Deus, Corpora
& honorifice sepeliri, qui non solum Angelorum, Sanctorum
sed etiam animalium irrationabilium ministerio etiam bru-
quandoque usus est ad eorum custodiam, ut sepul-
tura sacra postmodum condecorarentur à Fidelibus. *Sunt.*

Sic corpus S. Eadmundi Regis Anglorum & *Sarius 20.*
Martyris custodivit lupus à feris, cum impij illud
post incerpionem in loco horrido sentibus oc-
culassent, ut ibi putrefeceret.

Sic corpus S. Stanislai per agros spatum custo-
divere Aquilæ advolantes, donec advenirent Can-
onici Cracovienfes.

Sic corpus S. Vincentii Martyris mirabili-
ter protexit, quasi excubias ei impendens, ne læde-
retur è cæteris belluis.

Sic corpus S. Alexandri Martyris in flumen pro-
jectum quatuor canes eduxerunt, & linguis suis il-
lud lambentes custodiverunt, donec mater adven-
nit, cui quidem adveniienti occurrerunt canes isti,
& deduxerunt eam ad corpus filii via directã.
Quod quidem cum aromatibus unxit & sepelivit:
cumque in sepultura ista Psalmos caneret, Angeli
multi auditi sunt eos cum ea decantare.

Norunt est de S. Clemente, quomodo ei ædicu-
lam marmoream in templi forma, & arcam lapi-
deam fabricarint Angeli, cum in mare deiectum
fuisse anchoræ alligatum, mare autem ad tria
milliaria quorannis recedebat septem diebus, ut
Christiani ad hanc possent accedere ædiculam,
Martyrem honoraturi.

Denique Angeli sepulturam S. Agathæ, & eius
monumentum Epitaphio ei adpenso condecorasse
leguntur. Ergo hic rursus repetimus: *Sic honorabi-*
tur, quem Rex voluerit honorari. Sublimem certe
honorem debemus S. Catharinæ, quam sic Deus
honoravit, ut non solum in monte Sinai voluerit
sepeliri, sed et Ecclesiæ cœni, in summitate montis
Sinai. Hic locus ei debebatur, quæ ad summitatem
& verticem perfectionis pertingerat.

2. *Lac pro sanguine capite plena dedit.*

Cant. 4.

Cant. 5.

1. Pet. 2.

3. Ex sepulchro S. Catharine li-

mirantes sa-

Ordines religiosi specialiter S. Catharine nam co-

lunt. 1.

Alterum miraculum in morte S. Catharinæ elucens est, quòd dum ei gladius caput amputavit, ipsa pro sanguine & cruore lac dedit, sicut & de S. Paulo tradunt sacræ historiz, Quid verò candor ille lactis, loco cruoris profusus, aliud quam copiam sapientiæ, quo repleta fuerat, designabat, candoremque puritatis & castitatis, quam usque ad extremum spiritum conseruabat? Verè de ea possumus dicere illud Cantici Cantorum: *Mel & lac sub lingua eius.* Mel & lac sacræ doctrinæ per linguam eruditam & suavisonam infirmis in fide administrat, ut eos confirmaret, ut patuit in Imperatrice, Porphirio Duce, ducentis militibus, quos ad fidem adduxerat & lactarat, feceratq; ut essent quasi columba lotæ que resident iuxta fluentia plenissima. At vide nunc quemodo non solum supra linguam lac gessit: omnibus propinandum: sed & lingua lacte abundet, cum & collum ipsum illo refertum sit, quòd quidem gladius detegit & referat, dum illud resecat. O suave & admirabile lac, illius lactis symbolum, de quo S. Petrus: *Quasi modo geniti infantes, sine dolo, lac concupiscite!* O verè secundam Christianorum novellorum matrem Catharinam! Nam fecunditatis & maternitatis eius lac istud cœrum dat testimonium.

Denique, & istud miraculum sepulchrum S. Catharinæ exornavit, quòd ex illo loquor dulcis diu emanarit, qui infirmitati omni medelam exhibebat. Hinc Iulianus Imperator in memoriam horum omnium mirabilium, & in honorem S. Martyris ac Virginis, in monte Sinæ extrui iussit insignem Ecclesiam & Monasterium, ubi divinas laudes decantarent cum Angelis Viri Religiosi, quasi custodes tam admirabilis sepulchri, & participes divine unctionis, quâ Virgo Catharina plena fuit, per illam edoctus de omnibus ad salutem spectantibus, Atque huius sanctę unctionis, quâ præ participibus suis unxit eam Dominus, symbolum etiam fuit liquor ille oleatus & salubris, qui è loco sepulchri eius profuebat.

Multi Religiosi Ordines, ut unctionis & sapientiæ celestis fiant consortes, speciali devotione S. Catharinam colunt; & per eam multa beneficia impetrant, Huic Virgini & Martyri additus est inter ceteros Ordo S. Dominici. Quia & initio Ordinis, dum S. Dominicus nocte in contemplatione & oratione ageret, Ordinem suum & Fratres novellos commendans: vidit Beatiss. Virginem cum

S. Catharina & Cæcilia circumeuntem totum Dormitorium Fratrum, & singulos Fratres benedicens, aquaque iustitiam aspergentem. Prebebat autem & deferebat, vas aque benedictę S. Catharinæ à dextris; aspergillum verò exhibebat Virgini Deiparę Cæcilia à sinistris. Sic post Virginem Deiparę erga has Virgines devotionem singularem concepit S. Dominicus, ut earum patrocinio posset feliciter Ordinis sui munia obire & stabilire, que sunt, *Laudare, benedicere, & predicare.* Deum laudare docuit S. Cæcilia eiusque prægonia decantare, dum cantantibus organis decantabat in corde suo: *Fiat, Domine, cor & corpus meum immaculatum, ut non confundar.* Eum quoque benedicere & predicare eximie docuit S. Catharina, eius fidem publice & constanter predicans, & tamquam Ancilla sapientiæ ad arcem civitatis, hoc est, ad Ecclesiam, convocans omnes, tam magnos, quam pusillos. Hanc ergo imitantur Fratres Ordinis Predicatorii, Hinc & B. Reginaldos, S. Dominici illustri discipulo, cum gravissimè egrotaret, vigilanti de nocte apparuit Regina cęli, rursus his comitata Virginibus, & eius oculos, aures, manus, unguento quòd atulerat, linivit, denique & *pedes in preparationem Evangelii pacis*, ut ipsa dicebat. Respondebant autem Virgines hæc Amen, ad singulas unctiones, & illis unctionibus cooperabantur.

Sic & in Chronicis Carthusianorum legitur de quodam Laurentio Muschelio, Viro pientissimo & Priore prope Angiam, B. Catharinę Virgini & Martyri reverentię fuisse addictum. Quapropter per eam multas habuit revelationes & consolationes; frequenterque ei apparebat B. Catharina, & cum eo colloquebatur familiariter. Imò & quadam vice Rosam Paradisi pulcherrimam ab ea accepisse traditur.

Beata Catharina, cęli purpurea Rosa, candidumque Liliū, Sponsa Christi, Disciplina cęlestis Magistra, Sapientię Ancilla, Sapientum terrę Doctrix & Magistra, que tot Oratores convertisti, fortiterque superasti omnia Satanz tormenta, impetra nobis veram lucem, veramque sapientiam, ut tua scđantes vestigia, persecta à fide & charitate Deum valeamus æternum tecum laudare; benedicere, & predicare.

